



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Dominica XIX. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

DOMINICA XIX.
POST PENTECOSTEN.

I.

*Impletae sunt nuptiae discumbentium,
Matth. 22.*

Cogita, quanta fuerit hominum de sepi-
bus & viis collectorum hilaritas, dum post
diuturnam famem accumbunt delicatissimis e-
pulis, & post quotidianos contemptus, regis
convivio honorantur. Similis felicitas & con-
solatio manet peccatorem, qui ad expugnan-
dam consuetudinem aliquamdiu laborem for-
titer sustinuit: omnis enim difficultas in sua-
vitatem ipsi convertitur. *Mense I. Disc. 25. pag.
420. à num. 11. ad finem.*

2.

Amice, quomodo huc intrasti? Matth. 22.

Poterat se miser hic ex parte excusare, quòd
venerit invitatus: Verùm quia noverat, ve-
stis nuptialis incurium se fuisse, obmutuit, ac
propterea meritò iussus est mitti in tenebras
exteriores. Ad cælum invitamur omnes: ve-
rùm si in morte inveniamur sine veste nuptiali
divinæ gratiæ, malè nobis! Quisquis igitur in
peccato mortali versari solet, nec ad recupe-
randam gratiam contendit, in maximo peri-
culo

culo est, infeliciter moriendi. *Mense III. Disc.*
64. pag. 55.

3.

Qui invitati erant, non fuerunt digni.
Matth. 22.

DEUS benignissimus non solum necessitati nostræ, sed etiam voluptati multa indulget, quibus humanæ vitæ tædium relevetur, & homo labore fessus recreetur. Verùm hac ipsa DEI liberalitate multi abutuntur, & ejus donis sese indignos faciunt, dum gulæ diebus festis nimium indulgent, edentes & bibentes tempore incongruo, & non alia intentione, nisi voluptatis explendæ. In utroque graviter peccari potest, ut donis DEI fiamus indigni. *Mense V. Disc. 123. pag. 17. ad num. 5.*

4.

Impletae sunt nuptiae discumbentium.
Matth. 22.

Inter convivas ex triviis congregatos, qui inexpectatum convivium gratulari sibi debuerunt, fuit tamen inventus, qui vilipensione quadam beneficii non sumpterat vestem nuptialem. Multas nobis læticias honestas indulget DEUS; verùm eæ moderatè sunt usurpandæ sine excessu. Contra fit, quando cauponæ implentur sobriorum, sed fiunt vacuæ ebriorum. Hi vestem nuptialem in bona voluntate attulerant; sed cibo potuque ad excessum

1 3

reple-

repleti eandem in sordes projecerunt. Gravissimè gula per excessum peccat. *Mense V. Disc. 123. pag. 28. à num. 5. ad finem.*

Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem? Matth. 22.

Non solùm malè cogitando, loquendo, operando meremur pœnas, sed etiam omittendo ac officium nostrum negligendo. Contra omissiones explicatur hodierna parabola. *Mense X. Disc. 302. à num. 4. pag. 525.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

1.

Domine, descende, priusquam moriatur filius meus. Joan. 4.

Sapiens & providus fuit hic Regulus, dum ita festinavit pro filii sanitate: non arbitratus spem longioris vitæ in juventutis flore ponendam, urgebat Cristum, ut veniret. Quàm improvidi sunt multi mortalium, non pro aliorum tantùm, sed propria etiam salute! sic vivunt, ut nunquam morituri, & pœnitentiam differunt in incertum tempus, quod an nobis ad pœnitentiam suffecturum sit, ignoramus. *Mense I. Disc. 26. pag. 427.*

2.